

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

Palaestra Exercitatoria

De infinitivo futuro passivo, SARMIENTO

Lucretiana, ORTH

Iliadis I, VÁZQUEZ

Pro M. Tullio Cicerone peroratio, AVENARIUS

Nova et Vetera, MIR

Per Orbem, MAULEÓN - MESA

Bibliographia, JIMÉNEZ-MAULEÓN-MIR

Compositiones vertendae.

Textos Palaestra.

Ordinarii et Superiorum licentia

Palaestra Exercitatoria

Stella Refulgens

*Error incessu gradiens voraci,
Nuntius densas dominantis umbras,
Lucis exstinguit tremulum supernae
Mente nitorem.*

*Haeresis, flatu tenebris sedentis
Turbo letali stimulat, almam
Cordibus flammam fidei flagellat
Percitus ira.*

*Dive virtutis Sator universael
Mentibus numquid patieris error
Regnet hausturis sacra Veritatis
Lumina vivae?*

*Et sines flammam fidei, beatam
Qua petit pulsus patriam viator,
Ventus ut saevi rabie flagellet
Concitus hostis?*

O Deus, grates Tibi providenti!

Ecce lux nobis iterum nitescit:

*Divus apparet sapiensque Doctor,
Stella refulgens.*

*A Thomae divi radiante luce
Mente veloces nebulae recedunt;
Denuo purae sacra Veritatis
Lumina fulgent.*

*Haeresis tandem vehemente nobis
Turbine expulso, fidei novatur
Flamma; clarescit via quae beatam
Ducit in aedem.*

*Sidus in caelis hodie renatum,
Mentibus vivae, rogo, Veritatis
Lumen accendas, et amore veri
Corda peruras.*

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

e III Philosophiae c.

In Primā sororculae Communione

*Te sequi vellem teneram puellam
osculis libans tacitis volatu
pulverem tuo niveo levatum,
parva columba.*

*Curre potatum properaque avara
caelicum fontem scatebrae perennis.
Hunc sacrum concha laticem venusta
excipe cordis.*

*Cor tuum Christo, veluti fragrantis
flosculum rosae rubeum, nitenti
candidum Soli lepidumque pleno
pandis amoris.*

*O, diem tempus memores in omnes
O, primis mensam dapibus refertam,
cum bonus caelis fugiens ab altis
Christus amico*

*osculo meam penetravit aulam!
Mi soror magis, magis atque amata
Suavium tui calidum remoti
accipe fratris.*

LISARDUS VILLA DELGADO
e IV Lat. cursu

Spiri (Juvenatus hisp. C. S. S. R.)

In muscam

*In dulces Pierides, parcitis improbam
muscam quae stimulat, carmina dum
Heracle! sordida musca, [cano?
me ridens, propera, fugel
Frustra: Mens sequitur vivida concitum,
dicens versiculos, corporis impetum
auram suavis agentis.
Vae muscae tereti et levi,
quae musas nivei flaminis amputas!
Si rursus pedibus me fodicas citis,
audax carmine factum
mordaci feriam meo.*

LISARDUS VILLA DELGADO

De Infinitivo Futuro Passivo

Qui operam in lingua latina perdiscenda conferunt, nonnulla quidem jam obsoleta et usu et tempore recognoscent, sapientium auctoritate oblitterata, quos *penes arbitrium est et jus et norma loquendi* (A. P. 72), alia cassa et irrita cum vigerent diutius, omnino decidisse. Alia denique in lucem restituta, nemo est mediocriter excultus qui ea spernat contemnatque obstinato animo.

Scriptores optimos legentibus haec et alia similia saepius occurrunt:

Memento promisisse te mihi omne argentum redditum iri (PLAUT.). Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet (TER.). Erat rumor comitia dilatum iri (CIC.). Si sciret in solitudine trucidatum iri (CIC.). Quaero quando portam apertum iri putes (CIC.). Scripsisti te direptum iri a tuis (CIC.). Neque hominem in hostium potestate relictum iri (SALL.). Eum exceptum iri puto (CIC.). Interea rumor venit datum iri gladiatores (TER.). Addit etiam se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri (CIC.). Legationes rejectum iri puto (CIC.).

Animadvertendum est latini sermonis studioso temporis notionem triplici forma ab auctoribus exprimi atque denotari: praesenti, praeterito et futuro, quibus subesse notum est aliam atque aliam mentis rationem penitus diversam.

1.^o Etenim, illa imprimis sub *praesenti* infinitivi latini latet notio, quae imperfecto utriusque modi tum etiam praesenti hispanico respondeat. Adhibetur enim sine ullis temporis angustiis. Ut si dicas: *venire, videre, amare, diligere, monere*. multiplices haec verba sensus includunt, quos eruere oportebit ex primarii verbi significatione.

Itaque, *videbam te hic esse, video te hic adesse, videram te hic adesse*, triplicem innuunt statum: *veía que estabas presente*, praeteritum factum significat; *veo que estás presente*, rem praesentem et situm signat; *había visto que estabas aquí*, si actionem attendas verbi principalis, factum remotum profertur postea perficiendum aut potius perfectum sed eodem tempore.

2.^o Praeteritum perfectum et plusquamperfectum convertitur per *praeteritum* infinitivi. Actiones ab utroque verbo significatae diverso tempore fiunt, ut patet, una post aliam. Quemadmodum *credo te fuisse divitem; cupivi te adisse regem; scio te clementem fuisse; audivi te blandum fuisse, cet.* Factum multis ante diebus perfectum ostenditur.

3.^o Quaestio est de significatione *tertia* vocis, qua vertitur futurum imperfectum infinitivi hispanici voxque praeteriti in *-ria* finita; tum sensus tum actio a verbo significata tempore perficitur, ut *illum scripturum esse credebamus*, quam appellare licet —tametsi nomine a lingua latina alieno—, possibilem actionem; *illum scripturum esse*, non veram neque re neque factu admonere perspicuum est; *creíamos que escribiría, que tuvo intención de escribir...* His dictis actio non vere futura commonstratur, quam «irrealem» dicimus.

Futurum infinitivi usurpatur, quocumque verbo primario, quotienscumque actio infinitivi, primarii actionem consequitur (LLOBERA, *Gram. class. lat.*

349, III.º). Multam exemplorum copiam afferre possumus, quibus rem aperte illustremus. Paucis sufficiat:

‘ Credo, credebam, credidi te venturum esse; audio, audivi, audiveram te facturum fuisse; scribit litteras maximum pondus habituras; jurat se eum non deserturum; puto eum quam primum reversurum; cum animadverteret animam statim emissurum; si cogitarent se brevi mortuos, cet.

Animadvertatur oportet saepe numero omitti *esse*, quod quidem infinitivo *fore* sufficitur apud auctores, praesertim Ciceronem, quod tamen aliter interpretatur Cuervo (*Gramát. de la lengua lat.* 1915, n.º 159, p. 237).

Age vero, hanc futuri ‘infinitatem’, quam supra memoravimus, effugimus cum verbum primarium est verbum *credendi, dicendi, sciendi, cet.*: *scio te profecturum esse brevi; dico te amaturum esse, potissimum si orationi comitetur adverbium tempus significans: mox, brevi, cras, propere, cet.*

Quandoque etiam, eleganti quidem versione, convertitur futurum hispanicum circumscriptione illa *fore ut futurum esse ut*; verbum secundarium imperfecto redditur loco futuri infinitivi, praesertim si verba supino orbata sint: *spero fore ut contingat; credo fore nunquam poeniteat* (LLOBERA, 349), qua circuitio remotior eventus exprimitur (Cfr. MIGUEL, *Gramát. hispano-latina*, observ. IX, q. 269; etiam ZENONI, *La Sintassi lat.*, 19 ediz., n.º 149, 5).

Omnis tamen difficultas sita atque collocata est in futuro per passivam flectendo. Memoria nostra invaluit consuetudo, ne dicam error a majoribus inventus, futurum infinitivi hisp. per participium in *-dus* et infinitum *esse* convertendi. Maxima vero interest inter participium et infinitum vis ac significatio, quod illud *officium necessitatemque* adstruit, hoc vero *futurum* tempus indicat. Siquidem magnum intercedit discrimen inter *amandum esse* et *amatum iri*. Prior forma ex participio cum infinitivo verbi *sum* conflatur; altera infinitum verbi *eo, is, ire*, efficitur, ut notum apprime omnibus est. Illa usurpatur ad necessitatem declarandam, haec vero nullam demonstrat (MIGUEL, o. c. ib.). Aliis verbis *amandum esse* vox periphrastica est; *amatum iri*, proprius est tertiae vocis effingendae modus.

Ita apud Alvarez (*Inst. gramm.*, lib. V., 1927, n.º 1063, 11): ‘formae ex gerundio compositae officium necessitatemque potius quam futurum tempus significant. Sic illud Ciceronis (*Fam.* 15, 4, 11): *admonendum potius te a me quam rogandum puto*, non idem significat atque *admonitum iri potius te a me, quam rogandum iri puto (que serás avisado)*; eandem autem vim habet atque *admoneri puto potius te a me quam rogari oportere*’ (Cfr. LLOBERA, oc., n.º 349, in n.).

Hoc erat in consuetudine positum infimae latinitatis saeculi tertii ante Christum natum ut illius aetatis scriptores *amandum esse, amandam esse, cet.* pro *amatum iri* uterentur. Quod quidem ab optimis aureae latinitatis patronis improbatum (RIEMANN, oc. 259, n.º 1).

Si quis tamen nimiarum quaestionum amore ductus, quaerat undenam singularis haec constructio oriatur de notis apud se rebus rationes conferet.

Etenim omnis oratio verbi intransitivi complemento caret; ideo in passivam transferenda est impersonali modo: *dormitur, itum est, sic itur ad astra, itur in antiquam silvam, valetur apud vos, cet.* (Id. 134).

Meminisse oportet futurum ipsum per se vim includere temporis consequentis et posterii. Hac vero ratione, cum *eo, is, ire*, per se quoque sensum habeat futuri, illud in hac reddenda vice temporis venientis usurpamus. Quod quidem constat motus opinionem exprimere ac proinde supinum adhibetur non secus ac si de finali oratione agatur.

Apud Sallustium legimus: *ea tempestate fuere cives qui seque remque publicam perditum irent* (CAT. 36, 4). Claret supinum pendere a verbo motum significante. Tamen, cum *irent* passiva careat nisi impersonaliter mutetur, supinum in eodem gradu manere debet, ut si dicatur: *cives a quibus iretur perditum se...*, idcirco supini objectum perstare.

Ita habetur a cl. v. Ernout: «Ire, inquit, verbum intransitivum cum sit passiva carens, *iri* invecum est ea aetate qua infinitivum in *-i* impersonalis locum tenuit» (*Morphologie hist. du latin*, 1945, n.º 316).

Aulus Gellius Catonem inducit dicentem: «*atque ita evenit, Quirites, uti in hac contumelia, qua mihi per hujusce petulantiam factum itur, rei quoque publicae medius fidius miserear*». Pronomen QUAE positum esse loco accusativi a FACTUM pendentis, luce clarius apparet, ait ipse Ernout (l. c.; cfr. RIEMANN, 154, R. 11), ut probatur hoc exemplo: *credo mihi contumeliam factum iri*, quod verbum verbo reddere licet: *creo que se me va a hacer una afrenta*.

Paucis rem apertam concludamus: nunquam adhibere licere pro futuro simplici modum in *-dus, -dum* participii finitum, quippe quod eo utimur ad *necessitatem officiumque* exprimendum; contra, ut rem *futuram* designemus, in activa infinitum in *-rum (esse)*, in passiva supinum et *iri* perpetuo usurpabimus, si Ciceronis vestigia sancte sunt constanterque observanda.

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

Villae Rosarii, in Argentina.

BIBLIOGRAPHIA (sequitur)

Textos E. P. — DICCIONARIO GRIEGO-ESPAÑOL. — Ed. E. B. E., Madrid, 1945, 930. pp., 60 pts.

Scholarum Piarum socii ab ipsis Societatis incunabulis nihil antiquius habuerunt quam graecorum ac romanorum litteras impense colere ac fovere. Superiore saeculo lexicon ediderant graecum, adjecta versione latina et hispanica; nunc autem in meliorem et aptiorem formam redactum novum aggressi sunt lexicon graecum in quo aetatis heroticae vocabula, scriptorum classicorum, Novi Testamenti cum iis quae ad historiam geographiam, mytholo-

giam spectant, continentur. Notatio quantitatis quae saepe exprimitur atque rerum graecarum imagines affabre pictae hanc novam editionem decorant eamque alumnis perutilem ac jucundam reddunt. Ne tamen nimis lexicis molles augetur, pauca afferuntur exempla, sensus vero dilucide significantur. Patrem Balagué sincero animo gratulamur qui hujusmodi opus et aggressus et perficere est conatus, quo novum studiosis linguae graecae instrumentum idque valde aptum pararetur.

J. M. M., C. M. F.

LUCRETIANA

VI

15: vitam, vexareque nulla

16: pausa...

Subjectum verbi «vexare» est animi vitam; «vexare» absolute ponitur et significat: dolores parare.

72: ex ireis

codices scripserunt: *ex ire*, est scriptio mutila pro plurali «iris», cujus forma antiqua fuit «ireis».

83: et ratio caeli finisque tenenda...

si ratio caeli commemoratur, etiam ejusdem caeli finis indicetur oportet.

112: et fragilis fremitus chartarum commeditatur.

alliteratio: *chart- com-* postulat alteram alliterationem: *fra- fre-*.

131. versicula parva

saepe haud dat *pravum* sonitum displosa repente. .

sonitus non parvus, sed *pravus* excitatur, id est dissonus. Error scripturae confundendo parvum et pravum ortus est, quod saepius in codicibus occurrit.

201: ignis

semina convolvunt *in* nubibus...

«in» periit haplographia ante «nu-» (nubibus).

218: sine taetro

terrore et *sonibus* fulgit...

codices tradiderunt *sonis*; at forma «sonus» quartae declinationis (-ūs) exstat. cfr. ERNOUT-MEILLET 956.

219: quod superest, *quanam* natura praedita constant
fulmina...

«quanam» haplographia quadam ante «natura» excidit.

223: praeterea *seic* accendunt quoque tecta domorum

codices scripserunt: *se*, id est complendum ad «seic» = sic, id est: tali modo, quali brevi ante fulmina accendunt.

245: neque *cum* promissis plura morabor...

in codice oblongo «neque in» scriptum est; in codice quadrato «nequiquam» quae lectio ad «neque *cum*» ducit. «in» est haplographia illius, «cum» cf. V 91 ubi clare «neque te in promissis» traditur; sed non est necesse eadem verba repetere.

315: *illeic*

in fine versus, pro quo codices scripserunt «ille»; id plenius formatum in «illeic» significat adverbium locale (=illic) eodem modo ac VI 483, ubi item «illeic (non: illa) corpora» scribendum est.

- 324: *ac celeri ferme perguntur fulmina lapsu...*
 copula «ac» pro particula adversativa «at» facile restitui et «pergunt» in «perguntur» ampliari potest, ut motus fulminum describantur.
- 490: *tam magnis moenis...*
 moenia sunt hoc loco alti et lati muri nubium. Codices scripserunt. «montis» id est «moenis vel moeniis». cfr. ERNOUT-MEILLET 624.
- 537: *subter item ut supera ventis atque undique plenam speluncis...*
 «venti atque speluncae» est hendiadyoin pro illo «ventosae speluncae».
- 541: *volvare vi fluctus summersos vesca putandumst.*
 flumina *vesca* nominantur, quia fundum terrae rodunt eoque vescuntur, cfr. I 326.
- 550: *nec minus exultant os durius cumque viai ferratos... succutit orbis.*
 «os» significat pavimentum viae; metaphora cruda et perspicua placet; nam saepe viae lapideae urbium et oppidorum durae ut ossa fuerunt.
- 555: *ut vas interius non quit constare...*
 agitur de interiore volumine vasis, id quod «vas interius» nominari potest; cfr. ARISTOTELES *phys.* 211 C 5. MANILIUS I 31.
- 629: *totos terrarum spargere in orbis,..*
 in totos orbis terrarum aqua nubium spargitur.
- 956: *ad tempestatem terra caeloque coortam*
 957: *in caelum terrasque remotae jura facessunt.*
 subjecta sunt: lorica et morbida vis; praedicatum: jura facessunt; participium ad subjecta pertinens: remotae in caelum terrasque.
- 972: *qua nil est homini quod amarius fronde acini exstet...*
 acinum est herba amara.
- 1079: *aeraque non plumbo fit ut jungantur ab albo...*
 aera sunt singulae et separatae partes aeris, quae plumbo jungi possunt.
- 1121: *vel nebula ac nubes*
 vel =exempli causa. cfr. ERNOUT-MEILLET 1080.
- 1160: *singultusque frequens noctem pessaepe diemque*
 «pessaepe» idem ac «persaepe» est cfr. R. KÜHNER, *Gram. d. lat. Sprache* I (1912) 205; cfr. *dossum* = dorsum.
- 1281: *unus quisque suum proreptus amicum maestus humabat.*
 «proreptus» valet idem ac «praeceps».
- 1282: *multaque sors subita et paupertas horrida suasit...*
sors epidemiae Athenas subito occupaverat, non *mors*.

EMIL ORTH

ILIADIS I

- quamque manu ante aras ducens versutus Ulysses,
445 atque patri in manibus reddens, sic ora resolvit:
 «O Chryseu, summus misit me Rex Agamemnon,
 ut natam reddam tibi, sed Phoebus hanc hecatomben,
 qua fortasse Deum danai placare queamus,
 Phoebum, qui nobis luctus immisit acerbos».
- 450 Sic ait, in manibus tradens Amplectitur ulnis
 laetus eam genitor; venerandam mox hecatomben
 ordine disponunt circum aram rite dicatam.
 Inde manus mundare, molasque aspergere certant.
 Tunc Chryses orare et palmas tendere ad astra:
- 455 «Me exaudi, Arcitenens, qui Chrysen protegis urbem
 Cillamque insignem, Tenedi fortissime Custos!...
 Jampridem audisti praesens mea vota precantis,
 me magni pendens, danaos sine fine flagellans.
 Nunc iterum concede quod hac prece supplice posco:
- 460 Exitium a danais pestemque averte benignus!»
Sic ait ille precans, ipsumque audivit Apollo.
 Jamque molis sparsis, omnes, precibusque solutis,
 cervices pecorum retrabunt et vulnere mactant;
- 465 tergora deripiunt costis et viscera nudant.
 Crura resecta deinde tegunt pinguedine multa;
 crudaque tunc cumulant hinc inde exsanguia frusta:
 ac cremat illa senex, et vinum fundit in ignem.
 Cum veribus, quae quintuplici se cuspide findunt,
- 470 stant juvenes. Ubi crura cremata et viscera sumpta,
 cetera frusta secant veribusque trementia figunt,
 subjectisque assant prunis et cuncta reducunt.
 Cumque operi finem posuere dapesque pararunt,
 instaurant epulas; neu quis desiderat escas.
- 475 Postquam exemptus amor potandi et fervor edendi,
 crateras pueri statuunt et vina coronant.
 Tum pateras omnes, orsi libamina, complent.
 Sic, fugiente die, placabant Numen aëthæi;
 ducentesque choros, laetum pæana canebant
- 480 in laudem Phoëbi, qui gratis auribus audit.
 Sole sub occiduo, terris caligine mersis,
 carpebant somnos circum retinacula navis.

Cfr. fasc. 116, p. 43.

- Mane novo, roseis digitis Aurora rubebat;
 Tunc iter arripiunt in castra patentia grajum.
 485 Iusuper optatos ventos adspirat Apollo.
 Jam, malo erecto, candentia carbasa pandunt;
 flamine turgescit velum; stridoribus aequor
 intonat horrendis, fluctus findente carina,
 dum navis rursus pelago decurrit aperto.
 490 Protinus, ut veniunt in castra patentia grajum,
 ad terram longe navem traxere nigrantem,
 magnaue subjiciunt lateri fulcimina tuta. . .
 Tum subit in naves suaque in tentoria quisque.
 Sic est vindictam, remanens in navibus, orsus
 495 Pelides, Superis carus, festinus Achilles.
 In pugnam aut coetus danaum non amplius ibat.
 Sed sedet et languet, curis vexatus iniquis;
 exosus bellum, belli cupit ipse fragorem.
 Post haec, cum rursus ter quarta Aurora refulsit,
 500 cuncti Immortales properant ascendere Olympum,
 Juppiter imprimis. Penitusque in pectore fixa
 conservat mandata Thetis, quae filius ipsi
 crediderat; subitoque maris sese extulit undis;
 ac nebulae similis, petit altum culmen Olympi.
 505 Invenit illa Jovem, nullo comitante, sedentem
 culmine inaccesso summoque in vertice Olympi.
 Tumque, sedens contra, dum laeva genua teneret,
 dextramque injiceret mento Patris Omnipotentis,
 his tandem precibus, vultum demissa, profatur:
 510 «O Pater Omnipotens, audi mea vota precantis,
 si quod opus verbumque meum tibi profuit usquam.
 Protege nunc natum, cui vita brevissima restat;
 quemque probris gravibus violavit Rex Agamemnon;
 nam munus retinet quod perfidus abstulit ipse.
 515 Natum ergo defende meum, Pater Optime Divum!
 Troibus adde animos et vires... donec aethaci ;
 incipiant nato majores reddere laudes...»
 Sic ait. Haud responsa tamen dat Juppiter ulla.
 Ut silet ille diu, genibus Thetis acrius haeret;
 520 atque preces iterans, ita rursus satur ad illum:
 «Aut sperare jube, nutu tua Numina firmans;
 aut importunam procul arce. Namque docebor
 me tandem esse Deam, Divis ex omnibus, imam!...»

Misaël VAZQUEZ, S. J.

Pro M. Tullio Cicerone peroratio ⁽¹⁾

«Sed ne fuisset tam avidus laudis et gloriae!» Gloriam quaerebat arte dicendi, gloriam quaerebat ex honoribus publicis. Quid ille in fine tertiae Catilinae orationis profitetur ipse? — «Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea quae gessi in consulatu, privatus tuear atque ornem, ut, si qua est invidia in conservanda re publica suscepta, laedat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me tractabo, ut meminerim semper quae gesserim curemque, ut ea virtute, non casu gesta esse videantur». Et ita deinceps meminerat, ut nullam fere in senatu praetermitteret occasionem, quin suorum mentionem faceret meritorum. Ne multa: adeo cupidus gloriae erat, ut omnibus fere actionibus laudem captare et gloriam videatur. Et haec quidem obtrectatorum est oratio.

Utinam exstaret ille liber, quem anno 44 sexagenario major de gloria edidit! Fortasse probaret nobis suam sententiam optimum quemque maxime duci cupiditate gloriae. Credo S. Augustinum in eo quem supra dixi Confessionum loco propter appetitum gloriae de Tullio sic pronuntiare: «Perveneram in librum quendam cujusdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non ita». Sane equidem illi venatio gloriae ponenda in vitiis est, quoniam homini fas non est suam excellentiam venditare, quae Deo facultatum omnium largitori tribuenda laus est. Sed recordemur paulisper, quam alte impressus sit naturae humanae stimulus gloriae. Cuinam servire judicabis magnos illos terrarum expugnatores, illos factorum suorum politicorum laudatores, vindicatores imperiorum, si non videas ex religiosa vita eorum unice eos Dei servire majestati? Lucente jam saecula doctrina Christi et Christi modestia quidam ex humanistis librum edidit de appetenda gloria; Augustinus et Franciscus Xaverius, antequam totos se conformarent ad doctrinam Christi, quanto regebantur studio laudis in vitae actione universa! Quantas excivit in mundo contentiones ambitio dignitatum! Ubi invenias vel opificem qui non suam laudari cupiat artem! Quam facile parentes suos filios meliores judicant ceteris pueris atque puellis! Quoties vel ipse dicis, vel audis dici ab aliis: «Id nos non tam stulte». «Hoc me magistro et auctore fierat prudentius». «Non ita nos quondam, cum res spectaret ad nos». Quam sero dediscunt adulescentes operam dantes litterarum studiis aestimatione accepta profectus sui contendere plusculum se in hac vel in illa disciplina exspectasse et jure quidem, si hic vel ille condiscipulus praestantior a magistro potuerit censi, qui certe se plus non elaborasset. Neque adeo diu est cum accepi a quodam scholae rectore christianae dici certamine laudis et gloriae discipulos ad contentionem virium suarum instigari oportere.

M. Tullius, qui se vere linguae latinae et oratoriae artis principem esse intellexeret; qui, homo novus cum esset, suo quemque anno honorum gradum

(1) Cfr. fasc. sup., p. 105.

obtinuisset; qui ob res in consulatu gestas a senatu pater patriae salutatus esset, et adeo carus esset populo romano, ut ei paulo antequam mortuus est responderet existimare sese Ciceronem optima semper de republica sensisse, qui acutum semper cerneret, quae ceterorum in republica mutanda consilia essent; qui gloriae Christianae praecepta non novisset, quoniam tum Christus nondum triginta annos contra vanae gloriae studium pugnaverat et suae gloriae tubicines: quonam pacto M. Tullius, qui pro illorum temporum philosophia gloriam nominis aliquo modo ad animi post mortem vitam pertinere crederet et ingenue semper quae sentiret eloqueretur, non interdum de se gloriareretur? Illa ipsa, quam supra dixi, evitacione rei publicae fieri necesse erat —psychologica ea erat necessitas— ut identidem commemoraret, quae ipse hoc suo amore patriae et liberae rei publicae studio esset consecutus. Si quorundam aequalium suorum exemplo malis artibus et clandestinis machinationibus vanam captasset gloriam recte vituperaretur; sed ipse Tullius labore et industria et rebus bene gestis dignum se laude volebat virum. Ne ille rectissime nuper mihi consuetudinem Ciceronis, tam saepe ut de se praedicaret ostendenti respondit: «Et quid faceret aliud homo illius temporis et ejusdem condicionis?»

De cenodoxia igitur Ciceronis si perrexeris asseverare, hanc habe a me sententiam: fecisse M. Tullium Ciceronem, oratorum romanorum principem atque insignem rei publicae romanorum magistratum moderate, quod nos eadem praediti indole, ingenii facultate et fructu multo facturum eramus crepantius, quod nunc, modestiam edocti Christi et vitae nostrae perspecta origine et ratione, eadem atque ille ornatu laudis materia fortasse faceremus modestius.

Haud scio an verius Tullii vitium fuerit illa, quae cum illo studio gloriae conjuncta erat, sumptuosior vivendi ratio, quae in emendis et ornandis villis et in receptione hospitem largior erat quam pecuniaria pateretur arca. Hinc illae perpetuae difficultates pecuniariae de quibus ipse non raro in epistulis Attici facit mentionem.

Pecuniariae res dicuntur etiam fuisse causa, quod anno a. Ch. n. 46 divortium fecit cum Terentia, cujus fidem constantiamque expertus esset maxime tempore exsilio sui. Mallemus nos id non fecisse divortium; sed tamen convenit in iudicando cautos esse, cum nullae aliae causae memoriae sint proditae et illae pecuniariae pravitates videantur fuisse causa abalienationis. Pecuniariae rationes adduxerunt Tullium, ut eodem anno senex in matrimonium duceret Publiliam adolescentem, sed divitem, cujus facultatibus debita exsolvere posset sua; sed etiam ab ista se, anno matrimonii nondum expleto, separavit, quod illa non satis doloisse visa esset morte Tulliae.


ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Romae, a. 1949.

(sequar)

NOVA ET VETERA

Vehicula hodierna. — III



Fuerat quondam apud veteres fabella Icarum cereis alis per aëra volitasse: quod tamen veteres frustra temptarunt, id nostra aetate homines periti atque industrii aëriis vehiculis¹ sunt adepti.

In arte aëronautica² primum — ut videtur — folles seu folliculi aërii³ reperti, deinde globi — qui dicuntur — adhiberi coepti sunt aëre calido aut hydrogeno injecto, quibus et cymbula⁴ ad supportandos vectores⁵ subjecta est. Postea viri periti globos in majorem perfectionem adduxerunt atque regibiles seu gubernabiles⁶ et praegrandia illa zeppelinia⁷ invenerunt, quae commodo et utilitati inter gentes earumque commercia fuerunt. Deinde incunte saeculo XX aëroplāna (1)⁸ sunt reperta atque in dies perfecta, commodissimam atque velocissimam itineris peragendi rationem praestiterunt.

Quae ut aptius perspiceret aëroplana JOHANNES noster GUNDISALVIUS quadam die ad aëroportum⁹ accessit. Ibi primum oculis sunt subjecta animumque ejus conciliarunt ingentia aëroplana duobus, tribus, quattuorve motoriiis¹⁰ instructa, quae dum permoventur et helices¹¹ alis¹² praepositas convertunt,¹³ horrisonos edunt strepitus; motoria illa benzina¹⁴ seu gasolina¹⁵ aluntur.

Gubernator aërius¹⁶ [aëroplanīga] sedet in cellula,¹⁷ verticillum¹⁶ moderatur, motoriorum cameram¹⁹ prospicit.

Johannes diligenter inspexit testudinem,²⁰ helices, alas earumque tensuram,²¹ gubernacula,²² antennas,²³ caudam,²⁴ radiophōnium,²⁵ compāgem,²⁶ fenestellas,²⁷ rotas,²⁸ sedilia,²⁹ varia loculamenta³⁰ et conclavia³¹ quae ad commodum vectorum inserviunt. Deinde ad me conversus sic sermonem instituit: « Complura sunt aërovehicula, ut aërivōla,³² alivehes,³³ hydroplānum,³⁴ autógyrus,³⁵ aëroplanum: ³⁶ ex iis non nulla ad onera comportanda aut ad vectores in diversas regiones et civitates perducendos, adhibentur. Cum autem bellum inter gentes exoritur aëronāves pri-

(1) Vox acuenda est *aëroplānum*, si ex vocibus graecis ἀήρ et πλάνος (πλανήω) [α brevis est] procedit, ut sapientibus placet, non vero ex vocibus ἀήρ et πλάνος [ā].

mas partes gerunt; nam aliae hostium fines, oppida, munimenta, militum concursus inspiciunt atque speculantur, quas speculatorias ³⁷ appellamus; aliae vero insequuntur et quasi in majores aëronaves vehementissime collidere ³⁸ videntur ut aëroplanam feriant et hostium vehicula aëria diffringant: ³⁹ qua re insectantes ⁴⁰ vocamus; aliae tandem pyrobolos ⁴¹ aut pilas incendiarias ⁴² aut displodentes ⁴³ aut infestissimam bombam atomicam ⁴⁴ in oppida, in munitiones, in aëroportus, in navigia concipiunt: et ideo pyrobolaria ⁴⁵ sunt aëroplana, quae a peritis pyrobolaribus ⁴⁶ reguntur. Cum autem aëriae hostium incursiones praevidentur, tunc a patrio aërodrōmo insectantes et pyrobolariae aëronaves exsurgunt, quibus hostium irruentes fugantur aut profligantur. ⁴⁷

Aëriae naves, in aërodrōmo, uti vides, consistunt; quaedam in receptaculis ⁴⁸ custodiuntur; opifices mechanici ⁴⁹ detrimenta ⁵⁰ continuo recognoscunt atque reficiunt.

Gubernator gubernat ⁵¹ seu moderatur aëroplanum: primum per viale ⁵² aliquantum percurrit, deinde divolat ⁵³ a terra atque iter aërium ⁵⁴ praestitutum conficit. Apud omnes fere gentes aërii tramites ⁵⁵ sunt constituti, quibus vectores ab una in aliam civitatem aut gentem celerrime perducuntur.

Hydroplana in mare desiliunt seu aequorantur, ⁵⁶ aëroplana vero terram capiunt seu in terram prosiliunt. ⁵⁷ Cum vero casus ⁵⁸ accedit, decidiculum ⁵⁹ parant aëronautae ⁶⁰ et ex aërio vehiculo in aëra se demittunt; decidiculo aperto, per aëra enavigant usque dum terram attingunt.

Certamina ⁶¹ quoque velocitatis in patria aut inter gentes proponuntur et, qui summum attingunt, ⁶² praemio atque honore maximo decorantur*.

VOCABULARIUM

1 aërium vehiculum, aëro- vehiculum, i, n., navis aërea, aëronāvis, is, f.,	aëro- <i>aparato de aviación,</i> <i>aeroplano, aero-</i> <i>nave</i>	12 ala, ae, f,	<i>ala</i>
2 ars aëronautica,	<i>aeronáutica</i>	13 convertere,	<i>hacer girar</i>
3 follis, folliculus aërius,	<i>aerostato</i>	14 benzina, ae, f.,	<i>bencina</i>
4 cymbula, ae, f.,	<i>cesta, barquilla</i>	15 gasolina, ae, f.,	<i>gasolina</i>
5 vector, oris, m.,	<i>pasajero</i>	16 gubernator aërius, aëro- planīga, ae, m.,	<i>piloto</i>
6 aëronavis, (globus) regi- bilis, gubernabilis; regi- bile, gubernabile [<i>sup.</i> navigium],	<i>dirigible</i>	17 cellula, ae, f.,	<i>cabina</i>
7 zeppelinium, ii, n.,	<i>zepelín</i>	18 verticillum, verticulum, i, n.,	<i>volante</i>
8 aëroplanum, i, n.,	<i>aeroplano</i>	19 camera motoriorum,	<i>cámara de motores</i>
9 aëroportus, us, m., portus aëreus, aërodrōmus, i, m.,	<i>aeródromo</i>	20 testudo, inis, f.,	<i>casco</i>
10 aëroplanum duobus, tri- bus, quattuor motoribus (seu machinamentis) in- structum,	<i>bimotor, trimotor,</i> <i>cuatrimotor</i>	21 tensura, ae, f.,	<i>envergadura</i>
11 helix, icis, f.,	<i>hélice</i>	22 gubernaculum, i, n., temo, onis, m.,	<i>timon</i>
		23 antennae, arum, f. pl.,	<i>antenas</i>
		24 cauda, ae, f.,	<i>cola</i>
		25 radiophōnium, ii,	<i>radio</i>
		26 compāges, is, f.,	<i>armazón, [fuselaje]</i>
		27 fenestella, ae, f., [valvae, arum]	<i>ventanilla</i>

28	rota, ae, f.,	<i>rue.ła</i>	45	aëroplanum pyrobolarium,	<i>bombardero</i>
29	sedile, is, n., sella, ae, f.,	<i>asiento</i>	46	pyrobolarium, ii, m.,	<i>aviador-bombardero</i>
30	loculamentum, in, n.,	<i>departamento</i>	47	profigare,	<i>abatir, derribar</i>
31	conclave, is, n.,	<i>sala</i>	48	receptaculum, i, n.,	<i>bangar</i>
32	aërivōla, ae, f., velivōla, ae, velivōlum, i, n.,	<i>avión</i>	49	opifex mechanicus,	<i>mecánico</i>
33	alivehes, is, f.,	<i>avioneta</i>	50	detrimentum, i, n.	<i>avería</i>
34	hydroplanum, n.,	<i>hidroplano</i>	51	gubernare,	<i>pilotar</i>
35	autógyrus, i, m.,	<i>autogiro</i>	52	viale, is, n.,	<i>pišta</i>
36	aëroplanum, i, n.,	<i>aeroplano</i>	53	divolare,	<i>despegar</i>
37	speculatorium, velivola speculatoria,	<i>aeroplano, avión de reconocimiento</i>	54	iter aërium,	<i>vuelo, (raid)</i>
38	collidere,	<i>chocar</i>	55	trames aërius,	<i>línea aérea</i>
39	diffringere,	<i>hacer pedazos, (bom- bardear)</i>	56	desilire in mare, [aquo- rari]	<i>amarar</i>
40	aëroplanum insectans,	<i>caza</i>	57	prosilire in terram, terram capere, attingere,	<i>aterrizar</i>
41	pyrobolus, i, m.,	<i>bomba</i>	58	casus, us, m.,	<i>catástrofe</i>
42	pila incendiaria,	<i>bomba incendiaria</i>	59	decidiculum, i, n.,	<i>paracaídas</i>
43	pila displodens,	<i>bomba explosiva</i>	60	aëronauta, ae, m.,	<i>tripulante</i>
44	bomba atomica,	<i>bomba atómica</i>	61	certamen, inis, n.,	<i>concurso</i>
			62	summum attingere,	<i>batir el record</i>

ALIAE VOCES

saburra, ae f.,	<i>laštre</i>	consilium supremum	
monoplanum, i, n.,	<i>monoplano</i>	aëriae classi prae-	
biplanum, i, n.,	<i>biplano</i>	positum,	<i>ministerio del aire</i>
statio, onis, f.,	<i>campo de aviación</i>	administer -praeses-	
conjungere,	<i>embragar</i>	ab aëria classi,	<i>ministro del aire</i>
disjungere,	<i>desembragar</i>	aëriae classis praefec-	
alae, arum,	<i>planos de sustentaci6n</i>	tus,	<i>comandante de aviación</i>
helcium, ii, n.,	<i>amarra</i>	navis aëroplana por-	
aeroplani umbilicus,	<i>carlinga</i>	tans, [aëroplanigera	
apparatus desultorius,	<i>tren de aterrizaje</i>	(sup. navis)]	<i>portaaviones</i>
onus, eris, n.,	<i>cargamento</i>	arx volitans,	<i>fortaleza volante</i>
fomes, itis, m.,	<i>combustible</i>	volare,	<i>volar</i>
divolatio, onis, f.,	<i>despegue</i>	volatus, us, m.,	<i>vuelo</i>
stationem facere	<i>hacer escala</i>	conscendere aëropla-	
helicopterus, i, m.,	<i>helic6ptero</i>	num,	<i>subir al avión</i>
retinaculum, i, n.,	<i>torre de amarre</i>	locus tenuioris aëris,	<i>bañe</i>
adviatio, onis, f.,	<i>aviación</i>	praecipitem se ferre in,	<i>tirarse en picado</i>
adviator, oris, m.,	<i>aviador</i>	verberare, confringere,	
deflectere,	<i>virar</i>	quater (pilis), glo-	
deflexio, onis, f.,	<i>viraje</i>	bis igniv6mis,	<i>bombardear</i>
classis aëria,	<i>flota aérea</i>		

Non nullae interpretationes in epitaphium Diophanti (cfr. fasc 118) sunt allatae; illius aenigmatis solutionem in proximo fasciculo edemus.

PER ORBEM

Cum ad PALAESTRAM nonnullae ephemerides sint redditae, ex quibus quaedam lectorum cognitione digna possim depromere, easque studiose legerim, magna mihi religio offerretur si continuo non faciam lectores participes meae voluptatis.

I

A. — Placet imprimis Clmo. Dri. Rebelo Gonçalves renunciare alterum expectatissimae «Humanitatis» volumen ad nos tandem esse perlatum: ex quo duplicem fructum cepimus, nobisque in comparatione difficilem ad iudicandum, amoremne erga PALAESTRAM suum, an studium in litteras pluris aestimandum, putaremus.

B. — Gratum etiam quod in «Bulletin de l'Association Guillaume Budé» legabamus de illa per Hispaniam, mense septembri, peragratione, quam nonnulli istiusmodi Societatis excellentissimi viri se facturos esse pollicebantur. Non est dubitandum quin haec gallorum virorum docta perlustratio et ad amicitiam et ad commercium litterarum inter utramque civitatem restituendum plurimum contulerit. Ex articulo penuario ejusdem «Bulletin» liceat excerpere nuntium suspectum nulli, his vero maxime qui, cum Deum esse a communistis negari satis intellegant, eidem de atomismo lucretiano recte existimare possunt. Ibi enim refertur ut Academia Moscovita bimillennarium Lucretii rite celebraverit, hujusque poetae epicureum atomismum immoderatis laudibus extulerit. Nihil mirum profecto, quibus tota philosophia in usu visibilibus rerum est posita, eosdem velle philosophi epicurei memoriam immortalitati commendare.

C. — Etsi satis ex aliorum iudicio cognoscimus quae cura, quod studium litterarum columbianis sit, tamen, lecto «Boletín del Instituto Caro y Cuervo», liquidius de re tota iudicavi, ex quo intellexi plurimi linguam latinam in illa civitate fieri, plurimumque valere.

D. — Bina nos volumina ephemeridis «Les Études Classiques» accepisse denuntiamus; quae cum ipsa per se legimus libentissime, tum hoc libentius quod doctam Dni. Debeau-

vais «de genere animato inanimatoque nominum latinorum» disceptationem philologicam in priore volumine degustavimus.

In altero autem volumine nescio quid accuratius legi possit quam articulus ille, ne dicam liber, cum per centum fere paginas oratio producat, in quo Pter. Le Grelle de dispositione litteraria aetheticaque pythagorica, qua Vergilius primum suum Georgicon librum exaravit, doctissime pertractat.

II

Hactenus quae de ephemeridibus hinc illic excerpere placuit. Neque vero illud silentio praeterire possum quod nobis in litteris latinis colendis augendisque exemplo esse possit.

A. — Loquor enim de comoedia illa plautina, quae «Captivi» inscribitur, quaeque postridie Idus Majas anni superioris a litterarum latinarum alumnis valentini Seminarii, coram frequentissimo ornatissimoque doctorum congressu in *Saguntino Theatro Romano* mirifice acta fuit. Consilium, narrant, primo, ut semper, audacius videri; deinde juvenes, magno laudis amore perculsi, obstipuerunt; denique summum aliquid se velle aggredi omnes clamare. Partibus continuo distributis, fortunaque primo labori aspirante, irruit in animos alumnorum cupiditas ingens certiozem Archiepiscopum faciendi, eumque humaniter rogandi ut fabulae exercitationi benigne vellet interesse. Quibus cum Dr. Olaechea libentius, ut solet, annuisset, consiliumque sibi jucundissimum esse dixisset, leniter paulo post subridens, ac si rem parvi faciendam pronuntiaret: «Ibimus, inquit, in *Romanum Sagunti Theatrum*». Sic actores. Nos autem occasionem urgemus libentissime ut Dri. Hijarrubía, consilii impigro fautori, imprimis ex corde grutulemur: deinde significemus se suosque discipulos optime de litteris latinis meruisse.

B. — Ut tandem de aliquo nobis viciniore rationem reddamus, finemque fustori sermoni imponamus, placet nobis laudare litterarium ludum illum quem, Idibus Aprilibus ejusdem superioris anni, Sancto Francisco Xaverio, IV adventus ejus in Japoniam saeculo redeun-

te, Rhetorices alumni Seminarium hujus Pampilonensis libenti animo atque devoto, non minus quam litterarum latinarum cognitione, Dno. Vincentio Villabriga moderante, dicendum suscipiebant.

ISIDORUS MAULEÓN

DE INSTITUTO CARO ET CUERVO

Quae sit origo Instituti Caro et Cuervo apud Bogotam, urbem illam sapientem, non ita pridem conditi, plane ignoro, quibusque regulis, qua ratione procedat; cum vero perspectos habeam ejus uberrimos fructus, satis significatum existimo academiam bogoranam viris constitui selectis, acuti ingenii, tenacis voluntatis.

Nomen, elogium dixerunt romani. Quis vero neget et elogium et auctoritatem et stimulum inesse duplici praeclaro cognomine «Caro et Cuervo»? Id probe scimus columbiani; sciant quoque oportet omnium Hispaniarum cives. Inter cultores americanos, eosque non ignobiles, hispanicae linguae, qui saeculo XIX floruerunt, Caro et Cuervo, viris illustribus, post Andream Bello locum concesserim primum; eorum enim scripta maximi habentur, certa doctrina, probata sapientia. Plurima quidem ad hoc quasi litterarum archivo deducta novimus ejusque divitiis et grammaticos et philologos esse refertos; adhuc tamen permulta deducenda.

Hoc tantum opus, reipublicae utilissimum, litterisque summi emolumentum, a sociis Instituti Caro et Cuervo adgressum videmus, idque diligentia maxima, scientiae cupiditate, laude non minore.

Legas, quaeso, ejus doctissimum commentarium cui inscriptio: *Boletín del Instituto Caro y Cuervo*. Jam quintus est annus ex quo editi coeptus in eoque investigationes prodierunt expolitae de re philologica et grammaticae de quae humanioribus studiis cum ab scriptoribus

columbianis, tum etiam ab exteris singulari quadam sapientia elaboratae. Quibus adduntur quae supersunt schedulae e magno *Diccionario de construcción y régimen* a Ruphino J. Cuervo praeclare inchoato atque mox ab Instituto —quod faxit Deus— ad optatum exitum perducendo. Quodsi rem quidem factu arduam suspicamur molemque laboris improbi, quid est cur dubitemus et tantum opus quod absolvetur dignissimum et socios Instituti unos esse qui illud absolvere valeant?

Neque id satis est operosis viris, nam una cum commentariis libros quoque de humanioribus litteris aut componendos aut vulgandos susceperunt.

Primas ergo partes, jure meritoque, dederunt viris illis clarissimis Caro scilicet et Cuervo, quorum nomine, exempla, sapientia Institutum maluerunt conditum atque honestatum.

En opera, iis profecto, qui legerint, cognita grata ab Instituto in lucem edita:

Felix Restrepo S. J. — Obras Inéditas de Rufino Cuervo.

Miguel Antonio Caro. — La Canción a las Ruinas de Itálica del Licenciado Rodrigo Caro. Versión latina. Edidit Joseph Emm. Rivas Sacconi, Instituti Director.

Rufino J. Cuervo. — Disquisiciones sobre Filología Castellana. Editio parata a Raphaël Torres Quintero.

José Manuel Rivas Sacconi. — El Latín en Colombia. Bosquejo histórico del humanismo colombiano. De hoc libro, summa eruditione ornato, cfr. *PALAESTRAM LATINAM*, oct. dec., 1949, pag. 112-113.

Ismael Enrique Arciniegas. — Las Odas de Horacio. (Editio paratur).

Cursum exsequantur socii hujus nobilissimi Instituti; longum asperumque restat iter quod percurrant; attamen sic, pro Patria laboratur, sic itur ad astra.

CAROLUS E. MESA, C. M. F.

Matriti.

BIBLIOGRAPHIA

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F. — *Nova et Vetera* seu libellus explicans picturas auxiliares «Delmas», Barcinone, Textus Palaestrae (Lauria, 5), 1949, 120 pag.

Quae nobis Palaestritis familiaris pergrataque est rubrica, Josephus M.^a Mir, hujus commentarii moderator, libellum recens offert ad linguam latinam methodo directa usu atque imagine edocendam atque ediscendam ex sermone gallico translatum. Eaedem nempe sunt plagulae, quae —sub inscriptione *Nova et Vetera*— a mense octobri a. 1944 in PALAESTRA LATINA prodierunt; omnes in pulchrum volumen religatae, praemissa praefatione ac nota bibliographica de hac re. Filiali amore Congregationi Matri opus ac auctore dicatur, quod et duplici vocabulario latino-hispanico (pag. 83-99) atque hispanico-latino (pag. 100-116) completur.

Parvi forte libellus hic a quibusdam habeatur, cum de simplici versione, non de opere proprio penu deducto agatur. Sed hoc iudicium quam leve sit facile patebit postquam ad res in eo pertractatas et calliditatem in aptandis verbis —quod magnis scattet difficultatibus— acies ingenii adducta sit.

En totius operis conspectus:

1. Schola. Lyceum. Aula. — 2. Corpus humanum. Animi relaxatio. Ludi. — Infantia et adulescentia. Sollemnia baptismatis in vico. — 4. Festum publicum. — 5. Juventus et senectus. Nuptiarum epulae. — 6. Juventus et senectus: Dies natalis avi.

— 7. De domo ejusque constructione. — 8. Pars interior domus: Supellex, victus, illuminatio. — 9. Vicus hiberno tempore. — 10. Villa verno tempore. — 11. Messis: agri aspectus. — 12. Venatio. Vindemia. Piscatio. — 13. Mons. Balnea. — 14. Silva. Venatio. — 15. Mare. Portus. — 16. Urbs ejusque monumenta. Incendium. — 17. Statio. Ferrivia. Naves. — 18. Deversorium. Caupona. Cafeum. — 19. Via. Mercatores. — 20. Macellum. Penus. — 21. Magnum receptaculum. Taberna universalis mercium. Crepundia.

Facile conjici potest, ex sola argumentorum serie, agi de rebus et vocibus, quibus tum varietate cum novitate inter Scyllam et Charybdin sollicitatum iri fidus interpret videtur. Attamen jugi studio litteratissimus auctor dies noctesque in labore consumendo, vetera vocabula cum novis conferendo, utrumque scopulum mira sollertia aufugit. Ideo nec eorum placuit consilium qui novas voces immoderate a graecis mutuari ambiunt, neque eorum qui ex nostris linguis illas impudenti iudicio in latinam transferri volunt; sed mediam adeptus viam, qua quidquid a romanis dictum et nostris usibus simile, id quasi a parentibus excipitur resque nostra cum paterna voce aptetur; aut cum vocabulum aptandum desit, ex ipso sermone latino, sive componendo sive derivando vox nova effingatur aut tandem moderate ex nostris linguis illae voces transferantur.

Quod si —ut ipse fidus interpret

moderate ac modeste . profitetur— nonnulla obscuriora aut duriora irrepserint, hoc, meo iudicio, nimiae forte religioni in opere gallico interpretando potius quam incuriae tribuendum.

Opus hoc nolo magnis extollere laudibus, quanquam ejusdem novi utilitatem et momentum. Utilitatem nempe ut ephēbi nostri linguam latinā non solum doctrina sed etiam usu percipere et callere valeant; adeo ut magistri qui velint in posterum latine loqui cum discipulis, ad manus habeant oportebit una cum *Vive nostro*, Mureto, Budaeo, Fornario, Capellano, Pasetto, Mirium PALAESTRAE LATINAE clarum moderatorem; immo — tot tantorumque virorum venia dicam— hunc praeter ceteros, tum quia *Nova et Vetera* uberior est fons ad hodiernas res exprimendas, tum quia, ex variis vocibus ab auctoribus antea allatis, puriores tantum praebet et tutiores. Unde si dies eluceat in qua lingua latina universalis ad coetus populorum fiat vel si Societas constituatur quae voces latinas ad res novas definiat non dubito quin opus, de quo nunc sermo est, magni erit momenti.

Cum sua sint fata libello, huic nostro explicanti picturas *Delmas* quaenam futura sint, nescio. Sed si labori, studio, ingenio, merito auctoris aequanda sunt, magna et decora et diutina erunt.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

FERRERES-MONDRÍA. — *Compendium Theologiae Moralis*, Subirana, Barcinone, 1949. I-II vol.

Ob oculos, lector habes Patris Ferreres Compendium septies decies editum, nostris americanisque dioecesibus familiarissimum; quo fit ut sine reprehensione accuratam descriptionem omittere possimus. — Indicanda sunt tamen nobis nova illa quae in praefatione recognitor adimadvertit, quaeque potissimum «ad legis poenalem coërcitionem, temporis supputationem, virtutes in genere earumque cardinales in specie, narcoticorum usum, vestitus feminei modestiam, colendique Bram. Virginem necessitatem spectant». — Orationem quoque habet «de juratis declarationibus, de feminismo seu de emancipatione mulieris, de ectopicis conceptionibus, majoremque operam curamque in castitate tractanda impendit, ita ut totum de sexto praecepto tractatum novatum invenias». — Non sunt etiam praetermittendi numeri qui in hac editione «restitutioni personae morali faciendae dotique familiaris operantis elargiendae» impenduntur. — Praeterea P. Mondría in prologo pollicetur multa in posteriore proxima editione esse allaturum, quem hortamur ut pergat in opere quam sibi diligenter assumpsit illudque nobis Compendium Theologiae Moralis praebat quod Seminaria nostra jam diu exspectant vehementer.

I. MAULEÓN

CRISÓSTOMO ESEVERRI, *Vocabulario griego. - Raíces y sufijos*, Pamplona, 1943, pp. 80.

Egregius linguae graecae magister Dnus. Chr. Eseverri lexicon ediderat cui nomen «Diccionario etimológico de helenismos españoles», nunc autem ut breviori via sermonis graeci quasi complexum alumnis tradat, opusculum paravit quo voces graecas sub una subjungere radice ediscat discipulus atque e vocibus hispanis radices sensus ipse eruat. Radix, suffixum, vocis exitum, verba primitiva ac derivata apte definiuntur, quibus radices, earum sensus voxque memorialis hispanica subsequuntur. Tolle libellum, tibi que, graeci sermonis cultori, placebit.

J. M. M., C. M. F.

(sequitur in pag. 121)

Compositiones vertendae

TERENCIO (V)

Varrón, al decir que Terencio es un perfecto modelo de estilo medio (64) entre la abundancia (65) de Pacuvio y la parquedad (66) de Lucilio, y que se aventaja a todos en la descripción de caracteres (67) y en los cuadros de costumbres (68), le da en algún sentido la preferencia (69) sobre el mismo Menandro. Horacio, por su parte, le alaba bastante, cuando (70), no sólo le imita sino, aun a veces, le copia (71). Si César, juez autorizado (72), no le concede (73) sino la mitad de la gloria (74) de Menandro, Cicerón, juez, por cierto, no menos autorizado (75), parece se la concede (76) toda entera (77).

NOTAS: (64) *Mediocre genus dicendi*. (65) *Gracilitas*. (66) *Ubertas*. (67) *Imitatio naturarum*. (68) *Descriptio morum*. (69) *Aliquem aliquam ex parte antepone*re alicui. (70) «Cuando...» equiva- le aquí a «en cuanto que», *cum* con Indicativo. (71) *Transcribere*. (72) *Existimator acerrimus*. (73) *Impertior*. (74) *Dimidia pars laudis*. (75) *Cujus non minor est auctoritas*. (76) *Tribuere*. (77) *Totus*.

TERENCIO (VI)

Ni en menor estima (78) fué tenido por los escritores cristianos en los siglos posteriores (79). El elegante escritor Lactancio (80) le da el título de insigne poeta. San Jerónimo (81), tan bien formado en la literatura clásica (82), además de llamarle hombre eruditísimo, dice que supo apropiarse la elegancia y la dignidad (83) de Menandro; y (84) en la carta a Paulino no duda proponerle como dechado (85) de poetas, juntamente con los ilustres (86) Homero, Virgilio y Menandro. De ningún escritor latino (87) fueron tan copiadas (88) las obras como las comedias de Terencio, de las que aun hoy día se conservan (89) gran número de códices; ninguno tuvo (90), antes que decayese el latín (91), tan gran número de escoliastas (92), de los cuales se cuentan hasta catorce (93). De donde se deduce (94) que para entonces (95) era tenido en grandísima estima (96) y era muy estudiado (97).

NOTAS: (78) *Minoris pretii*. (79) *Scriptores aetate posteriores, inferiores*. (80) *Lactantius quidem, scriptor elegantissimus*. (81) *Hieronymus* sin más. (82) *Eruditissimus et graecis litteris et latinis; antiquitatis scriptorumque veterum litterate peritus*. (83) *Decorem et elegantiam conservare*. (84) Unase a lo anterior con *idem*, referido a *Hieronymus*. (85) *Proponere alicui aliquem ad imitandum*. (86) Añádase al adjetivo un sustantivo y aquí todavía mejor el pronombre *ille*. (87) Júntese con *autem*. (88) *Describere*. (89) *Hodie exstare*. (90) *Invenio*. (91) *Ante occasum latini sermonis* (92) *Scholiastes, (-a), ae; antiquus interpres*. (93) Por referirse aquí a la totalidad de los escoliastas no se ponga el partitivo *quorum*; dígase *qui quattuordecim numerantur*. (94) *Ex quo intellegitur; ex quo perspicuum est*. (95) *Jam tunc*. (96) *Summo in honore aliquem habere*. (97) *Studiosae legere; legere ac pervolutare*.

TEXTOS PALAESTRA

Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
		• <i>Historiae Sacrae Compendium</i> (3.ª edic.)	5 »
Segundo curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 2.º (2.ª edición) (<i>en prensa</i>)	
		• <i>Repetitorium</i> (Libro de prácticas)	15 »
		• <i>Epitome Historiae Graecae</i> (4.ª edición)	6 »
Tercer curso	}	<i>Jimenez,</i> Latín 3.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Ramos,</i> <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	5 »
		<i>Mir,</i> <i>Ciceronis Epistulae Selectae</i>	4 »
Cuarto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 4.º (<i>en preparación</i>)	
		• <i>Caesaris de Bello Civili</i> , 2.ª edic.	6 »
		• <i>Ciceronis pro Archia poeta</i>	4 »
		• <i>Ciceronis in Catilinam</i>	4 »
Quinto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 5.º (<i>en preparación</i>)	
		<i>Martija,</i> <i>Vergili Aeneidos</i> (libro 2.º)	6 »
		<i>Mesa,</i> <i>Sallusti de Conjuratiōne Catilinae</i>	6 »
		<i>Mir,</i> <i>Nova et Vetera</i> (método directo del latín)	20 »
Sexto y séptimo curso	}	<i>Jiménez,</i> <i>De Orthographia Latina</i>	6 »
		<i>Martija,</i> <i>Prudenti Carmina Selecta</i> (2.ª edición)	5 »
		<i>Sarmiento,</i> <i>Martialis Epigrammata</i>	4 »
		<i>Mesa,</i> <i>Titi Livi Historiae Selectae</i>	8 »
		<i>Zuluaga,</i> <i>Horati Carmina Selecta</i>	6 »
		<i>Ruiz,</i> <i>Homeri Odyssea</i> (Primer canto)	10 »
		<i>Ramos,</i> <i>Xenophontis Anabasis</i> (Primer libro)	12 »
<i>Planque-Planas,</i> <i>Gramática Griega</i>	36 »		

Edición de sólo texto

<i>Ciceronis Epistulae</i>	2 ptas.
<i>Ciceronis in Catalinam.</i>	2 »
<i>Ciceronis pro Archia</i>	2 »
<i>C. Nepotis Vitae</i>	2 »
<i>Sallusti de Catilinae Conjuratiōne</i>		3 »
<i>Titi Livi Historiae</i>	3 »
<i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II)	3 »
<i>Horati Carmina</i>	3 »

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 ■ pesetaram in Hispania et America. 2/ ■ pesetaram in reliquis civitatibus.
 Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona
 Scripta ad moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.